


LVII. Sic ergò, ut insipientes pueri, in faba vermem inveni-
nientes, magnum & singulare quid se invenisse existimant, Autor
noster, pro singulari & pretiosa quadam sapientiæ theologicae gem-
ma, in faba Exercitatoris Paradoxi aperta, vermem erroris & stulti-
tiæ invenit, in fabario fatuoque ipsius cerebro natum, quem ipse in
suo fovens cerebro majorem fecit & lectione insulsi Scriptoris
ipso etiam hac in parte insulsior factus est. Quod in Pastore &
Doctore publico haud bonum signum, de quibus Christus ait,
Vos estis sal terræ. Quod si sal insipidum fuerit effectum; quo
saliatur? Ad nihil valet amplius, nisi ut abjiciatur foras & concul-
cetur ab hominibus. *Matth. 5. 13.* Hoc tamen illi nos judicium
non precamur, sed potius respicientiam & medicam manum sa-
lemque Spiritus Sancti.



PARS TERTIA,

*Ostendens alia quaedam vitia & naevos libri,
& Autoris, in libro conspicuos.*

Hactenus diversas de Interpretibus & interpretatione Sacrae
Scripturae Autoris nostri propositiones & sententias erroneas,
heterodoxas, scandalosas, atque etiam blasphemias, adduxi &
examinavi, diversasque ejus ab orthodoxa doctrina, exorbitatio-
nes ostendi. Nunc alii, etiam naevi defectus & vitia Libri, & Au-
toris, in libro se manifestantia, breviter ob oculos ponenda sunt.
Quorum licet aliqua jam ante, datâ occasione, obiter notaverim;
hic tamen velut in propria sede repeti, & cum reliquis conjunctim
considerari debent, ut plenius & accuratius, de totius libri digni-
tate & utilitate, judicium ferre possimus.

*Primum Vitium, Doctrinae inconstan-
tia & multiplex contradictio.*

I. Ac primum Autor in eo se ostendit admodum inconstantem,
vanum,